

ritate. Jam igitur leges conduntur, redditum publicorum, vectigalium, tributorum a singulis praefstandorum inodus et ratio praescribitur, et quod primarium est et esse debet, civitatis constitutae gubernatori sapienti definitur iam modus iustus et perpetua ratio belli interni inter cives rerum et personarum iuribus coram iudice gerendi, quod cum aeternum sit et nunquam finiri omnino possit, unicum simul est, quod in constituta civitatis forma tolerari possit et iuvandi.

§. 2.

Quippe haec res, quae est uti vides, iudiciorum civilium forma et ratio, seu, quem hodie dicere solent, *Processus iudicarius* tantum abest ut vel ab imperfecta civitatis forma abesse possit, ut potius inter gravissima reipublicae formandae capita ipsam debeas numerare. Quod sensere omnes, quibus aut confirmanda erat civitas et legibus institutisque componenda, aut cum ab aliis recenter conformata esset, absolvenda tradebatur et ab omni parte emendanda. Exempla fint Romanorum, quibus post eiectos reges vix quinquaginta anni lapsi sunt sine accurata iudiciorum civilium institutione, cuius in XII Tabulis